

si verò latera Anguli Acuti producas, erit complementum Rectangulum cum duobus Acutis: si deniq; latera Obtusi Anguli prolonges, erit complementum Rectangulum cum duobus Obtusis.

Trianguli Sphærici purè Acutanguli complementum est Triangulum cum duobus obtusis & uno acuto.

Trianguli Sphærici purè Obtusanguli complementum est Triangulum cum duobus acutis & uno obtuso.

Trianguli Sphærici cum duobus Obtusis & uno acuto, si latera Anguli Acuti continues, erit complementum purè Acutangulum: si verò alterius Obtusi continues, erit complementum dato simile.

Trianguli Sphærici cum duobus Acutis & uno Obtuso, continuatis cruribus Anguli Obtusi, erit complementum merè Obtusangulum: si verò alterius Acuti latera continues, erit complementum dato iterum simile.

Non injucundum fuerit studiosis harum rerum proprio, quod ajuat, Marte in istas varietates Triangulorum Sphæricorum, inq; eorum complementa inquirere. Nec Schematibus omnia satis cōmodè efficiuntur: ipsaq; adeò congeries eorundem plusquam molesta, quam hactenus instituimus, recensitionem tacitè quasi mandavit. Ut autem tantò melius à quovis omnia percipi & intelligi queant, sciendum est, quia latus Trianguli cujuscunq; dati est arcus circuli Sphærae maximi, si quævis duo Trianguli latera contigua versus easdem partes usq; ad concursum alium priorum illorum arcuum, qui jam integri sunt

sunt